

# PSALTERIVM

SEXTVPLEX.

HEBRAEVM, cum tribus Latinis, videlicet, Diui Hieronymi, R. P. Sanctis Pagnini, & Felicis Pratenfis.

GRAECVM, Septuaginta interpretum, cum Latina uulgata.

VIRTUTE DVCE



COMITE FORTVNA.

SEB. GRYPHVS EXCVDEBAT LVGV DVNI, ANN. 1530.



## STVDIOSO LECTORI S.

**D I V** multumq; cogitanti mihi quid hisce mundinis pu-  
 blicaturus essem, quod tua studia iuuaret cãdidissime Lector:  
 multa quidem praeclara se mihi obtulerunt, uerum dum cun-  
 cta diligenti animo rimarer, tandem uenit in mentem, me ope-  
 re pretium tibiq; rem & gratam & utilem facturum, si id in  
 medium proferrem, ex quo una & eadẽ opera linguae sanctae  
 cognitionem simul & ipsum Christum imbiberes: quem san-  
 nẽ nunquam rectius, nũquam sincerius spiraris, quã si eam  
 linguam rudibus adhuc annis imbibas, qua nobis ille totus ex-  
 pressus est, quam quidem nomine minime fucato seu umbra-  
 tili sanctam appellant, quippe quae nihil sonet quod non sit  
 sanctum ac sacrum. Ad quam rem inter cetera in primis ido-  
 neus uisus est hic Psalmorũ liber, qui nihil aliud resonat prae-  
 ter uerum  $\Sigma\omega\tau\eta\gamma\alpha$  nostrum Christum, quem sanẽ tui causa  
 in hanc enchiridij formam contraximus, tum ut esset aptior  
 quem nocturna diurnaq; manu uersares, tum ut ab illis quoq;  
 comparari possit, quibus tenuis fortuna contigit. Porro ut  
 scias quem ordinem sequuti simus, prior pars tibi exhibet  
 ipsam Hebraicam ueritatem cum triplici trium doctissimorũ  
 uirorum uersione, Diui Hieronymi, Sanctis Pagnini, &  
 Felicis Pratenfis. Sed quorsum, inquires fortasse, tanta inter-  
 pretum multitudo? Non temere, mihi crede, hoc à nobis fa-  
 ctum est. Poteramus quidem esse contenti unica interpreta-  
 tione, sed ostẽdere uolebamus quã uarie Hebraea uerti pos-  
 sunt: Ad hæc, sepe numero tibi continget ut quod in uno mi-  
 nus assequeris, alius ueluti in tabella depictum dilucidissime  
 ob oculos ponat. Altera pars continet Septuaginta interpre-  
 tum Graecam uersionem, cui è regione respõdet latina trans-  
 latio, quã nonnulli Diuo Hieronymo tribuunt, quae quidem  
 pars, si Graecae linguae studiosus es, non parum tibi utilitatis  
allat



D. HIERON.

HEBRAEV. M.

**B**Eatus uir qui non abijt in consilio impiorum, & in uia peccatorum non stetit, & in cathedra derisorum non sedit. Sed in lege domini uoluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.

Et erit tanquam lignum transplantatum, iuxta riuos aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo: & folium eius non defluet, & omne quod faciet prosperabitur.

Non sic impij, sed tanquam puluis quem projicit uentus. Propterea non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in congregatione iustorum. Quoniam nouit dominus uiam iustorum, & iter impiorum peribit.

II.

**Q**uare turbabunt gentes, & tribus meditantur inania? Consurget reges terrae, & principes tractabunt pariter aduersum dominum, & aduersum Christum eius. Dirumpamus uincula eorum, & projiciamus a nobis laqueos eorum. Habitator caeli ridebit, dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitui regem meum super Sion

אֲשֶׁר הָאִישׁ אֲשֶׁר-לֹא הָיָה בְּעֵצַת רְשָׁעִים

וּבְחַדְוַת חָטָאִים לֹא עָמַד וּבְכַמוֹשׁ לַצַּדִּיק לֹא יָשָׁב

כִּי אִם-בְּתוֹרַת יְהוָה הִפְצֹו וּבְחֻזְרוֹתָיו יִחְזַק יוֹמָם וּלְיָלֵלָה

וְהָיָה כַעֲצַת שְׂהוֹל עַל-פְּלִגְי מַיִם אֲשֶׁר פְּרִיָו יִתֵּן בְּעֵתוֹ

וְעֵלְהוּ לֹא יִבּוֹל וְכֹל אֲשֶׁר-יַעֲשֶׂה יִצְלִיחַ

לֹא-כֵן הָרְשָׁעִים כִּי אִם-כְּמוֹץ אֲשֶׁר-תִּהְיֶה רֵיחַ

עַל-כֵּן לֹא-יִקְמוּ רְשָׁעִים בְּמוֹשָׁפֵט וְחָטָאִים בְּעֵדַת צְדִיקִים

כִּי יִדְרֹעַ יְהוָה חֲרָה צְדִיקִים וְיִדְרֹעַ רְשָׁעִים תֵּאֱכָר

לְמַה רָגַשׁוּ גוֹיִם וְלֵאמֹיִם יִהְיֶה דִּיק וְיִתְיַבְּבוּ

מִלְּבֵי-אָרֶץ וּרְוַצִּים נִסְדּוּ וַיַּחַד עַל-יְהוָה וְעַל-מֹשִׁיחַוּ

אֶת-מוֹסְרוֹתַימוּ וְנִשְׁלִיכֵהוּ מִמְּנוֹ עֲבָתֵימוּ

וְיֹשֵׁב בַּשָּׁמַיִם יִשְׂחַק אֲרֵצוֹ וְיַעַג לְמוֹתוֹ אֵז יִדְבֹר אֱלֹהֵימוּ

בְּאִפּוֹ וּבְחִירוֹנוּ יִבְהַלְמוּ וְאֲנִי נִסְכַּתִּי מִלְּבַי עַל-צִיּוֹן

חַר

SANCTIS PAGN.

FELICIS PRAT.

**B**Eatus uir qui non ambulauit in consilio impiorum, & in uia peccatorum non stetit, & in cathedra derisorum non sedit. Sed in lege domini uoluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.

Et erit sicut arbor plantata secus riuos aquarum, quae fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non decidet, & omne quod faciet prosperari faciet. (secundabit.)

Non sic impij, sed tanquam gluma, quam projiciet uentus. Ideo non stabunt impij in iudicio, neque impij in congregatione iustorum.

Quoniam scit dominus uiam iustorum, & uis impiorum peribit.

II.

**U**T quid congregabunt se (tumultum facient) gentes, & populi meditantur (loquuntur) inane? Astant reges terrae, & principes consiliabuntur pariter, aduersus dominum, & aduersus Christum eius. Dirumpamus uincula eorum, & projiciamus a nobis funes eorum. Habitans in caelis ridebit, (irridebit) dominus subsannabit eos. Tunc loquetur ad eos in furore suo, & in ira sua terrebit eos. Et ego constitui regem meum super Sion,

mon

**B**Eatus uir qui non ambulauit in consilio impiorum, & in uia peccatorum non stetit, & in confesso irrisorum non sedit. Quin potius in lege domini uoluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.

Et erit tanquam lignum plantatum secus riuulos aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo: & folium eius non defluet, & omne quod faciet prosperabitur.

Non sic impij, sed tanquam puluis, quem agitat uentus. Ideo non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in congregatione iustorum. Quoniam nouit dominus uiam iustorum, & iter impiorum peribit.

II.

**Q**uare tumultuatae sunt gentes, & populi meditati sunt inane? Adstant reges terrae, & principes consilium inierunt simul, aduersus dominum, & aduersus Christum eius. Dirumpamus uincula eorum, & projiciamus a nobis iugum eorum. Habitans in caelis ridebit, dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos. Ego autem constitui regem meum super Sion

mon